

persona generare. Accessit deus ad virginē
 et necesse fuit virginē generare et non aliū q̄
 deū et nō de alio q̄ de se. **S**ed de nō potuit ge-
 nerare nisi deū de se. et tū p̄go deū fecit hoies
 De nō potuit generare nisi infinitū: immor-
 tale: eternū: insensibile: inuisibile: palpabile:
 sub forma dei. **S**ed virgo fecit eū finitū mor-
 tale: mendicū: temporale: palpabile: sensibile:
 visibile sub forma serui suppositū sub natura
 creata. Virū certe vna puella nescio quibus
 blandicijs maiestātē diuinā inclinauit: vesti-
 uitq; summū amabile obprobrijs: angustijs
 penalitatis et ignominijs. qd totū p salute
 hūani generis pcreatū est. **I**gitur res stupē-
 da et oī plena pietate. **E**cce q̄ p recōciliatio-
 ne hūana paceq; cōponenda inter oī potētissi-
 mū deū offensum et reū hoīem inscrutabilis
 altitudo diuinī p̄siliū matrimoniū strahens
 dum inter dei filiū et humanā creaturā mira-
 dispensatōe stabiluit. **E**t qm cōsensus efficit
 matrimoniū missus est a patre misericordia-
 rum et luminū angelus gabriel ad mundifi-
 simā virginē q̄ donis sublimata diuinis in-
 cōparabilis erat vniuersis q̄ tā pie tamq; sa-
 lutari diuine dispositioni in totū nature hu-
 mane psona pberet cōsensus. **A**dmiranda
 legatio et ex oī pte veneratōe dignissima que
 nec primā simile visa est: nec hīe sequentem.
Quid enī maius. qd sublimius. quid deni-
 q; salubrius hūano generi de celo offerri po-
 tuit plane nihil. **Q**uod enī natura non habuit
 vsus nesciuit: ignorauit rō: mens nō capit hu-
 mana: pauet celū: stupet terra et oīs creatura
 mirat. hoc totū p gabrielē marie nunciā et p
 xpm adimplet. **N**ā in virginis vtero verbū
 caro factū est. **Q**uisq; igitur es q̄ xpiano noīe
 gloriāris mysteria huiusmodi iusto ppen-
 de iudicio. **T**ibi enī quondam abiecto. **T**ibi
 excluso a paradisi sedib; **T**ibi p exilia longin-
 qua morienti. **T**ibi in puluere et cinere reso-
 luto dū in nulla esset spes viuendi p incarna-
 tionē filij dei et virginis potestas data est vt
 a longinquo ad tuū reuertaris actorē: reco-
 gnoscas parentē: liber efficiaris ex seruo: de
 extraneo pueharis in filiū vt q̄ ex corrupti-
 bili carne nat; es ex dei spū renascaris et ob-
 tineas p gratiā qd non habes p naturā. **D**e-
 mus ergo deo clementissimo grās et virginē
 matrē p̄ssimo colamus affectu vt sic pueni-
 re possimus ad p̄tiam celestē in q̄ viuūt et re-
 gnāt de; p infinita secula seculor. **A**men.
Sermo vigesimūseptim; de priuilegijs
 maternitatis virginis marie ppter q̄ ipa ma-
 ter prestantissima et singularis merito nun-
 cupatur.

Unde hoc mihi vt
 veniat mater dñi mei ad me. **E**liza-
 beth sanctissime verba sunt ista ori-
 ginaliter **L**uc. i. c. et in euāgelio hodiernē fe-
 stiuiratis. **D**ie festū visitatōis gloriose virgi-
 nis marie debite celebrare volētes pscrutari
 diligenter debemus q̄ excelsa supremaq; sit
 laus eius ex eo q̄ facta fuit tanti filij dignis-
 sima m̄r. **N**ā elizabeth vetula nō a femetipa
 s; spūs sc̄i radio illustrata hoc nō sine admi-
 ratōe grādi pclamauit. **S**tatim nāq; postq;
 virgo filiū dei de spū sc̄o cōcepit exurgens
 abiit in mōtana. s. bierlm q̄ erat altior galilea
 cū festinatōe p̄t honestatē ne diuini; videret
 in publico et intrauit i domū zacharie et salu-
 tauit elizabeth. **A**d quā salutatō; exultauit
 infans **J**ohes sex mēses hñs i vtero m̄ris.
Dec vero exultatio vt inq̄t **A**ug. ad **D**arda-
 nū potuit esse significatio rei tāte. s. q̄ mulier
 ess; m̄r dei a maiorib; cognoscēde nō a puu-
 lo cognite. vñ in euāgelio nō d̄r credidit in-
 fans i vtero et; sed exultauit. **V**idim; autē
 ultationē nō solū puuloz s; pecorū eē. **S**ed
 hec inusitata existit: q̄ in vtero **E**t ideo sic lo-
 lent miracula fieri facta est diuinū i infante
 nō humanū ab infante. quāq; etiā potuerit
 in illo puero accelerat; eē vsus rōnis et volū-
 tatis vt intra viscera materna iā posset agno-
 scere: credere et p̄sentire ad qd in alijs puulis
 etas expectat. **h**ec **A**ug. **Q**ui neutrū dete-
 minate asserit s; siue exultatio illa fuerit ab;
 q̄ hoc q̄ **J**ohānes p̄gnouerit diuinā p̄nāz
 siue q̄ illā p̄gnouerit totū tñ ascribit diuino
 miraculo **R**epleta igitur fuit elizabeth spū sc̄o
 et exclamauit voce magna bñdixitq; virginē
 et fructū ventris ei. **I**ndeq; p̄ba ptulit i be-
 mate posita in q̄b; se humiliādo licet esset vir-
 gine antiquior tñ q̄ m̄r erat virgo xp̄i: indi-
 gnā se tā vrbana salutatōe fatef. **P**ropterea
 itaq; q̄ et nos indeficiēter visitamur a virgine
 q̄ blanda ē dulcis et liberalissima cūctis mor-
 talib; m̄r atq; gratie ac m̄e nuncupat. **I**deo
 in p̄nti sermone de maternitatis ei; priuilegijs
 pstantissimis filio suo interueniēte tractabis
 mus. distinguemus autē tria priuilegia.
Primū d̄r totalitatis.
Secundū veritatis.
Terciū dignitatis.
Ox xps traxit totā corpulentā substantiā
 a virgine m̄re ope spūs sc̄i. **E**t quare xps nō
 d̄r fili; spūs sancti. **C**apitulū. i.
Primū priuilegiū maternitatis virginis
 gloriose diciť totalitatis. **A**lij nāq; filiū
 corpulentā substantiā accipiūt p̄im a patre

partim a matre. Filius autē virginis ab ipsa sola. Et qz hoc totū virtuti spūs sancti depu-
tatur. ideo in hac pte tria sūt dubia apienda.

Primū vtrū efficere conceptionē xpī debeat
attribui spūi sancto.

Secūm vtrū xpīs possit dici pceptus de spū scō

Terciū vtrū xpīs possit appellari filiū spūs scī

Ad primū dubiū rñdet thō. iij. pte. q. xxxij
qz pceptōz xpī tota trinitas est opata. qz vt re-
fert Aug. i. i. de trini. Indiuisa sunt opa tri-
nitatis sicut et indiuisa est essentia trinitatis
efficere vero pceptōz xpī est quoddā opus di-
uinū: ideo cōe est toti trinitati. Attribuit tñ
spūi sancto triplici rōne.

Primo ppter causāz incarnationis ex pte dei.

Secūdo ppter causāz incarnationis ex parte
nature assumpte.

Tercio ppter terminū incarnationis.

Primo ppter cām incarnationis ex pte dei.

Spūs enī sanctus est amor pātis et filiū. h. autē
ex maximo dei amore. puenit vt filiū dei car-
nem sibi assumeret in vtero virginali. Secū-
do attribuit conceptio xpī spūi sancto ppter
causāz incarnationis ex pte nature assumpte
qz p hoc dat intelligi qz hūana natura assum-
pta est a filio dei i vnitatē psonē nō ex aliqui-
bus meritis s; ex sola gratia q spūi sancto at-
tribuitur. **Uñ Aug.** dicit in Encheridion.

Iste modus q est nat? xpīs de spū sancto in-
sinuat nobis grām dei qua hō nullis prece-
dentibz meritis ex ipso primo exordio nature
sue q esse cepit verbo dei copularet in tantā
vnitatē psonē vt idē ipse esset filius dei. **T**er-
cio attribuit cōceptio xpī spūi sancto: qz hoc
cōgruit termino incarnationis. Ad hoc enim
terminata est incarnatio vt homo ille qui cō-
cipiebatur esset sanctus et filius dei: vtrūqz autē
horum attribuit spiritui sancto. **Nā** p ipm
efficiuntur hoīes filij dei. **Ipe** etiā est spūitus
sanctificationis. Sic ergo aliq p spiritū san-
ctū sanctificānt spiritualiter vt sint filij dei
adoptiui: ita xpīs p spiritū sanctū est in sancti-
tate conceptus vt esset filius dei naturalis.

Secundū dubiū erat vtrū xpīs possit di-
ci cōceptus de spū sancto. Et q sic ptz: qz sic
cām? i vtroqz simbolo. In simbolo aploz
Qui cōceptus ē de spū scō. Et in simbolo pa-
trū. Incarnatus est de spū scō. **At Barthm.**

Inuenta est in vtero hñs de spū scō. Ad qd
clare intelligendū dicit thō. qz pceptio nō at-
tribuit soli corpori xpī sed etiā ipi xpō rōne
ipius corporis. In spū autē scō duplex habitu-
do cōsiderat respectu xpī. Nam ad ipm filiū
dei q dicitur esse cōceptus hz habitudinē substan-
tialitatis. Ad corpus autē ei hz habitudinē

cause efficientis. hec autē ppositio de vtrāqz
habitudinē designat dicim? q xpīm pceptus
de spū scō h mō qz efficacia spūs scī, referat
ad corp? assumptū cōsubstantialitatis ad pso-
nā assumptē. Et quāqz dicam? xpīm de spū
scō pceptū nō tñ dicim? ppter corpus xpī de
spū scō pceptū: qz nō ē substantiale spūi scō
sed magis dicim? corpus xpī ex spū sancto.
Uñ Ambro. ait in li. de spū scō. Qd ex aliq
est: aut ex substantia: aut ex pte ei? ē. Ex sub-
stantia sicut fili? q a pte est. Ex pte sicut ex
deo oīa quō et in vtero habuit maria ex spū
scō. Notandū adhuc fm Aug. i. Encheri-
dion. qz nō eodē mō dicitur xpīs pceptus de spū scō
et maria virgine: nā de maria virgine mate-
rialiter de spū scō effectiue. Ex quo apparet
qz cōceptio xpī habuit tria puilegia. Primū
qz esset sine pctō originali. Secūm qz esset nō
puri hoīs: sed hoīs et dei. Terciū qz esset vir-
ginis. et hec tria habuit a spū sancto. Et ideo
dicit Damascē. qstū ad primū. qz spūs sanctus
supuenit in virgine purgās ipam. i. pseruās
ne cū pctō originali pcciperet. Quāntū ad se-
cundū dicit et virtutē susceptiua verbi dei tri-
buens. i. vt pcciperet verbū dei. Quāntū autē
ad terciū subdit simul aut et generatiua. vt. s.
manēs virgo posset generare. **T**erciū du-
biū erat vtrū xpīs possit appellari filius spūs
scī. Ad qd rñdet Aug. in Encheridion di-
cens. natus est xpīs de spū scō nō sicut filius
et de maria virgine sic filius. **E**ssē diceret qz
beata virgo dicitur mater xpī ppter materiā quāz
in pceptōe eius ministravit: ergo videt qz eti-
am spūs spūs sanctus possit dici pater ppter
hoc qz fuit principiū actiū in pceptōe ipi?
Et vt dicit Aristo. in li. de generōe animalium.
Pater dat pncipiū actiū in generatōe: mī-
nistrat mater. **A**d hoc rñdet Thō. vii. s. qz xpīs cōceptus est de maria virgine
materiam ministrante in similitudinē spe-
ciei: et ideo dicitur filius eius. **C**hristus autem
fm qz homo cōceptus est de spū sancto sicut
de actiūo pncipio nō tñ fm similitudinē spe-
ciei sicut homo nascit de patre suo. **D**ñs ve-
ro Bonauen. in. iij. di. iij. dicit. Ex ista locu-
tio xpīs est filius spūs sancti nullo mō est ad-
mittenda. tñ ppter vitandū errorē circa gene-
rationē eternā qua ppterūm est patris et nō spi-
ritus sancti generare: tñ ppter seruandā pte-
tate circa generationē temporālē que est vt fi-
lius assimilet patri et matri fm similitudinē
speciei: si tñ cū patre et matre eiusdē nature.
Christus vero fm qz homo nō est eiusdē na-
ture cum spiritu sancto neqz illi assimilatur
specificē: ideo nec eius filius poterit ēē. **I**git

virtus spiritus sancti fuit in virgine q̄ in cōceptione filij sui oēs naturas et ptes mundi vltima pfectione cōpleuit. Et quidē deus in mundi creatōe nihil imperfectū pduxit: sed oīa erāt perfecta sicut ipōz natura exigebat. Tū cōsummatio pfectōis vltimē vsq; ad partum virginis delata est et soli virgini reserua ta. Entia enim apperebant nobilissimū ens. Spirituālia nobilissimū spiritū. rationalia nobilissimū rōnale. cōceptiones optimū cōceptū. natiuitates optimū nascibile. Et breuiter oēs creature appetebāt optimum. His autē oībus existentib; imperfectis: sic puissimū est mūdo de femina sup oībus bñdicta q̄ vni co suo pariu oībus rerū generib; summā et vltimā pfectiōz adduxit. Et aduersas q̄ hec puella tantā pfectionē attulit vniuerso q̄ nō est pfectionis vltioris capax. Nec deus p̄ vltiori pfectione ipm mundū pficere. Et si ip̄e pater et sp̄s sanc⁹ de femina nascerent̄ nihil orbi accresceret pfectionis: qz quicqd nobilitatis quicqd deitatis et quicqd eternitatis est totū in orbe diffusum est et pductus p virginem in illo eterno supposito qd virgo maria generauit. Nec magnū est virgini q̄ pfectionib; orbis vltimā pfectionē inducit. Tū et ip̄i vniuersitatis actori nōnullas pfectiones adiunxerit: puta eterno pncipio in ceptionis pncipiū. Eternitati diuine temporale periodū. Infinitati immense quantitātē corporeā. Speciei eterne pulcritudinē nōnam. Sibi igit soli ppetit vt virgo pceperit xpm sitq; illius admirabilis mater.

Quebeata virgo fuit vera mater xpi: et q̄re xps nasci voluit de femina.

Capitulū. ij.

Secundū priuilegiū maternitatis virginis beatissime dī veritatis. Pro cuius intelligētia clarioz tria erunt hic dubia elucidanda.

Primū vtrū xps debuit de virgine nasci.

Secundū vtrū beata virgo aliqd actiue egerit in cōceptione corporis xpi.

Terciū vtrū sanctissima virgo fuit vera mater christi.

Ad primū dubiū dicit tho. iij. pte. q. xxxi. Q̄ licet fili⁹ dei carnē humanā assumere potuerit de quacūq; materia voluisset pueniēs tamē fuit illā assumeret de muliere triplici ratione.

Primo ppter muliebz sexū cōfortandū.

Secundo ppter veritatē astruendā.

Tercio ppter vniuersitatē generationū adimplendam.

Primo fuit cōueniens ppter muliebz sexū

cōfortandū vt cōfortarent mulieres speraret qz et ip̄e p xpm debere saluari nō obstante q̄ p eū tanta oībus mala puenerāt. **H**inc Augusti. in li. lxxiij. questionū ait. **H**ois liberatio in viroq; sexu debuit apparere. **N**ā quia sexus masculinus est nobilior: ideo xps humanā naturā in masculino sexu assumpsit. Quia vero sexus feminus liberandus erat. **H**inc apparet q̄ vir ille de femina natus est. Et idem in li. de agone xpiano inq̄r. **N**olite vos ipsos cōtemnere femine filius dei virū suscepit. **N**olite vos ipsas cōtemnere femine fili⁹ dei de femina natus est.

Secundo fuit cōueniens ppter veritatē astruendā vt sic veritas incarnatōis nota fieret. Et de hoc sic loquit̄ Aug⁹. in eplā ad Volusianū. Si omnipotens deus hoīem vtrūq; formatū nō ex materno vtero crearet sed repentinū inferret a spectibus nōne opinionē pformaret erroris vt hoīem verū nullo mō suscepisse crederetur et dū oīa mirabiliter facit auferret qd miseri corditer fecit. **N**ūc p̄o ita inter deū et hoīem mediator apparuit vt in vnitāte psonē copulans vtrāq; naturā et solita sublimaret insolitis et insolita solitis temperaret.

Tercio fuit cōueniens vt xps de femina nasceretur ppter vniuersitatē generationū adimplendā. **N**ā primus homo pductus est de limo terre sine viro et femina. **E**ua ex viro sine femina. **T**eteri hoīes a viro et femina generant̄. **U**n et quartus quasi xpo vltimus relinquit̄ batur vt pduceret ex femina sine viro.

Secundū dubiū elucidandū erat vtrū beata virgo aliqd actiue egerit in cōceptione corporis xpi. **A**d qd rñder sanctus tho. q̄ licet quidā velint dicere virgine aliqd actiue esse operatam in cōceptione xpi. **T**ū melius et verius videtur sibi tenere q̄ in ip̄a cōceptione xpi nihil actiue operata est: sed solū materiā ministravit: operata tñ est ante cōceptionē aliqd actiue pparando materiā vt esset apta conceptioni. **R**ō vero quare in cōceptione nihil est actiui opata sumi p̄t ex dictis Augustini in x. sup Genesim ad lram. Principiū nāq; actiue in generatōe dī ratio seminalis. **C**orpus autē xpi in sola materia corpali p diuinā potentia cōceptionis formationisq; ratione de virgine assumptū est: nō autē fm aliquā rationem seminale humanā. **I**nsup cū q̄libet res sit ppter suā operationē vt dicit Aristot. ij. de celo et mūdo. **N**atura nō distingueret ad opus generatōis sexū maris et femine: nisi esset distincta operatio maris ab operatōe femine. **I**n generatōe autē distinguit̄ operatio agentis et patientis. **U**nde relinquit̄ q̄ tota

virtus actiua sit ex pte maris: passiva vero ex parte femine: ppter qd in plantis in quibus vtraq vis cōmūcet nō est distinctio maris et femine. Quia ergo virgo nō hoc accepit: vt esset pater xpi. sed mater psequens est q nō accepit potentiā actiuam in cōceptione xpi siue aliqd actiue egerit. **T**erciu dubiu erat vtrum beata pgo fuit vera mater xpi. Sic enī dicit in scripturis q fuerit mater et xps filius. vñ **Luce. i. c.** dixit angelus. paries filiū. **Et Luce. ij.** peperit filiū. **Et matth. ij.** Accipe puerū et matrē eius. **Et Luc. ij.** dixit mater eius ad illū. Fili qd fecisti nobis sic. **Et Jo. ij. ca.** Erat mater iesu ibi. Sed forte inquit: mater sic noīatur: qz filiū illū in suo vtero ex miraculo genitū educauit et aluit ita q ex pietatis officio nō conditione aut ppietate nature sic nuncupet. Ad qd rōdemus fñ **Augusti.** in li. de eccle. dog. vbi ait. Natus est fñ veritate nature ex deo dei filiū. Natus est fñ veritate nature ex hoīe: hoīs filiū: vt nō adoptione: nō appellatōe: nō nuncupatōe: sed natura in vtraq natiuitate nascēdo filij nomen haberet. Fuit igit virgo sanctissima vera mater xpi qd pbamus ex dictis sancti tho. i. pte q. xxvij. **Et. iij. pte. q. xxxij.** Nam ad rationē vere paternitatis vel maternitatis et filiationis cōcurrunt pcpue tria. Prīmū est generatio viuētū: vt viuū generet viuū. **Et ppter ea** qz ignis generās nō est qd vīnēs nō dicūt pater aut mater ignis generati. Scdm est collatio substantiē. Nam faber lignorū nō dicit pater scammī aut cuiuslibet alteri artificij qd ipse fabricat qz nō cōicat sibi suā substantiā. Terciu est materie pparate administratio ppter ea terra nō dicit ppter mī hoīs qz est materia remota. **Et quartū** addit qd est assimilatio in natura specifica. Ideo capillus ab hoīe generatus nō dicit filiū hoīs qz nō assimilāt hoī specificē. **Quā ergo** beata virgo vīnēs genuerit xpm viuētē cōicauitqz ad formatōz corpis ei materie pparatā et xps ab ea genitus fuit ei similis in specie qz pfectus hō ex aīa rōnali et hūana carne subsistens: sequit qz xps fuit eius filiū et ipa illius vera mī. Si aut ali quis obijceret qz xps ex beata virgine miraculose natus est sed miraculosa generatio nō sufficit ad rōem maternitatis vel filiationis. **Nō enī dicim** eū filiū fuisse ade: ergo videt qz xpus nō debeat dici filius beate virginis. Rōdere possumus fñ **Damasce.** in. iij. li. q natiuitas tpalis qua xps natus est ppter nostram salutē est quodammodo fñ nos qm natus est hō ex muliere et tpe cōceptionis debito. **Sup nos aut qm** nō ex viri semine sed ex

sancto spiritu et sancta virgine sup legē cōceptionis. **Ex quo** vt inqz tho. iij. pte. q. xxxv. **Ex pte mris** natiuitas illa fuit naturalis sed ex pte operatōis spūs sancti fuit miraculosa. **Un beata virgo** est vera et naturalis mī xpi. Quis g explicare queat quāto affectu filiū illum gestauit in vtero peperit in pseprio suoqz lacte pauerbere de celo pleno. Quis enarrare sufficiat quāto gaudio eius infantilia mēbra cōtrectabat dū inuoluebat pannis et stricte cingebat fascia. Quis insuper exco gūare valeat qz gratissima fuit amborū cōuersatio amoris dulcedine plena. Cōueniebāt pacifice. Colloquebant benignē. **Et virgo ore** melliflua fili mī sepiū ingeminabat: audiebat respondētē illū cū oī reuerentia genitricis meae colendissima.

Quā beata virgo dei genitrix est dicēda que meruit pcepere xpm cuius insup progative ab hoīe nō pnt cōprehendi. **Capitulū. iij.**

Terciu priuilegiū maternitatis virginis illibate dicit dignitatis. Aliēnāqz matres puri hoīs: hec hoīs et dei mī fuit. Sed p huius pīs expeditione iocunda tria adhuc dubia declaremus.

Prīmū vtrū beata virgo sit dei genitrix appellanda.

Secundū vtrū beata virgo meruit pcepere christum.

Terciu vtrū virginis progative possint ab hoīe cōprehendi.

Ad primū dubiū rōdemus qz bene pgrue ac verissime virginē gloriofam appellamus genitricē dei. Inqz nāqz **Johānes Damas.** Theothocōn vere sanctā mariā pdicamus virginē. **Et in capitulis Tirilli** approbatis in **Ephesina sinodo** dicit. Si qd nō cōfiteatur sanctā virginē genitricē dei anathema sit. **Et sancta mater ecclesia** in diuinis officiis illaz sic crebro noīat. In officio missę inducit versiculū **Sedulij.** Salue ait sancta parēs entia puerpera regē q celū terrāqz regit in secula seculorū. virgo dei genitrix quē totus non capit orbis in tua se clausit viscera factū hō. **Et in offertorio.** Post partū virgo inuiolata pmanisti dei genitrix intercede p nobis. **Et in vespis.** Ave maris stella dei mater alma. **Et in cōpletorio.** Sub tuū pīdū cōfugū? sancta dei genitrix. **Et i letanijs.** Sancta dei genitrix ora p nobis. Quare aut sit cōueniens et ppiā ista locutio declarat a **Bo nauen.** in. iij. dis. iij. **Et a Tho.** in. iij. pte. q. xxxv. qz omne nomē significans in cōcreto naturā aliquā p supponere p qualibet ypo stasi illius nature. **Quā autē** incarnatōis

sit facta in ypostasi manifestum est qd hoc no-
 men deus p̄t supponere ypostasi habente hu-
 manā naturā et diuinā. Et ideo quicqd cō-
 uenit diuine nature et humane p̄t attribui il-
 li p̄sone. Cōcipi aut et nasci p̄sone attribuit
 et ypostasi s̄m naturā illā in qua cōcipit et na-
 scitur. Tū ergo in ip̄o principio p̄ceptionis
 fuerit humana natura assumpta a diuina p̄-
 sone. cōueniens est qd vere possit dici deū esse
 cōceptū et natū de virgine. Ex hoc aut dicit
 aliqua mulier alicuius mater qd eū cōcepit et
 genuit. Quare et b̄tā virgo vere dicit mater
 dei qd sit mater diuinitatis: sed qz persone ha-
 bentis diuinitatē et hūanitatē est mater s̄m
 humanitatē p̄pter cōicationem ideomatum.

Secundū dubiū erat utrū beatā virgo me-
 ruit cōcipere xpm. Ad qd Bonauen. in. iij.
 di. iij. ait. qd meritiū distinguitur tripliciter.
 Est enī meritiū cōdigni. meritiū cōgrui. et me-
 ritum digni. In merito cōdigni attenditur
 equalitas: v̄puta dum qd per diē vel menses
 seruit alicui p̄ cōuenienti mercede labore de-
 bito finito meret mercedē illam de cōdigno.
 Quāntū enī laborauit et quāto tpe tantū si-
 bi debet. In merito cōgrui attendit dispositio
 ad aliquā mercedē cōsequendam in futu-
 ro. puta si rex vel princeps aliq̄s p̄ sua ma-
 gnificentiā pelamari fecisset qd si q̄s vno cur-
 su p̄ determinatū spaciū p̄cederet reliq̄s cur-
 rentes lucraret lib̄ā vna auri: tūc multi hoc
 audientes ad currendū se preparant. Inter
 quos esset vnus agilis valde et ad currendū
 plus ceteris expeditus licet nondū essent in
 cursu: vel post qd currere ceperint anteq̄s pue-
 rit ad terminū dicere de isto vno qd me-
 ritur premiū merito cōgrui. Et postq̄s pue-
 nit ad terminū meret illud merito non cōdi-
 gni: qz premiū illud excedit laborem sed meri-
 to digni. Quia ex qd sic placuit regi vel prin-
 cipi vt qui ad talē terminū currendo p̄tinge-
 ret aurū sibi dare. Ille qui sic currendo pri-
 us ceteris applicuit ad locū p̄fixū factus
 est dign⁹ p̄mio et liberalitate p̄parato. Sic
 in p̄posito beatā virgo nō meruit cōcipere xpm
 merito cōdigni qm̄ incarnationis beneficium
 q̄stū ad suam substantiā vel essentiā est supra
 merita oīm hominū et angeloz et ip̄ius vir-
 ginis benedite. Sed qz ex benignitate sua
 diffiniuit deus vt carnē sumeret p̄ salute hu-
 mani generis. et de muliere vna nasceret de⁹
 et homo. Beata virgo a principio sue sancti-
 ficationis et toto tpe intermedio vsq̄ ad in-
 carnationē merebat esse mater dei merito cō-
 grui. qz p̄pter excellentiā sanctitatis sue et p̄-
 fectionē virtutū ad hoc erat magis idonea si-

ue disposita q̄s relique mulieres que potue-
 rint esse in omni mundo. At vbi verba illa
 sanctissima ptulit. Ecce ancilla dñi et suum
 cōsensum verbo firmanit ilico meruit meri-
 to digni p̄cipere xpm et effici mater dei. Tūc
 siquidē inuēta est excessisse merita oīm electo-
 rū et maxime p̄pter p̄minentā quattuor vir-
 tutū q̄ includunt in verbis eius. Prima fuit
 obedientia dñi dixit. ecce. Exhibuit namq̄ se
 adeo p̄mptissimā ad obediendū deo q̄stum
 fieri p̄t a pura creatura. Intenissima fuit il-
 lius volūtas ad talē obedientiā q̄stū intendi
 potuit: neq̄ tantū intensa fuit volūtas abra-
 e dñi voluit filiū immolare: aut quorumcūq̄s
 p̄ dei obedientia dura et asperissima queq̄ pa-
 ti nō recusarūt. Secūda virtus fuit humili-
 tas quā expressit dñi subdidit. Ancilla dñi:
 tunc vtiq̄ tñ respectu dei descendit in nubi-
 lum et despectū sui qd nulla vnq̄s alia creatu-
 ra ita viluerit sibi ip̄i p̄ deo sicut ip̄a. Et licet
 magna fuit humilitas abrae cū dixit. **G**ener⁹
 xviij. ca. Loquar ad dñm meū cum sim pul-
 nis et cinis. Et Job cum dixit. xviij. c. Putre-
 dini dici p̄t meus es mater mea et soror mea
 vermibus. Et Jobānis baptiste: dñi se vocē
 appellauit: nihilominus humilitas virginis
 superauit humilitatē istoz et quorumcūq̄s alio-
 rum. p̄pterea in suo cantico dixit. Quia respec-
 xit humilitatē ancille sue: ecce enī et hoc bea-
 tam me dicet oēs generatōes. Tercia virtus
 fuit eius fides quā explicauit dñi. p̄secuta est
Fiat mihi. Tunc siquidē captiuauit omne
 intellectū in obsequiū dei: crediditq̄ simpli-
 citer et purissime quecūq̄ sibi fuerāt p̄ ange-
 lum intumata. Hinc elizabeth p̄mendando
 illā dixit. Beata q̄ credidisti qm̄ perficientur
 in te q̄ dicta sunt tibi a dño. Quarta virtus
 fuit charitas q̄ expressa est dum ptulit: scdm̄
 verbū tuum. Omne cor suū: omne esse: omne
 posse obtulit voluntarie deo. Tercii dubi-
 um erat utrū virginis p̄rogatiue possint
 ab homine cōprehendi. Ad qd respondem⁹
 qd sicut perfectiones diuine omni intellectu
 sunt incōprehensibiles: si p̄fectiones grāti-
 rum quas virgo suscepit in p̄ceptione filij dei
 solo diuino intellectu et xpi fuerūt p̄prehen-
 sibiles. vñ credit qd ad illā abyssum imp̄scru-
 tabile oīm charismatū spūs sancti q̄ in bea-
 tam virginē descenderunt in hora cōceptio-
 nis filij dei: intellectus humanus vel angeli-
 cus nunq̄ potuerūt attingere. Multo nāq̄
 plura operatus est deus in virgine et quidē
 grandia q̄ ea que scripta sunt aut excogita-
 ta. Iccirco Hieronim⁹ in sermone ad paulā
 et eustochiū. dñi de virginis p̄minentia esset

dicturus ita locutus est. **T**imeo satis et valde pertimesco dñi vestris cupio parere. pfectibz ne forte sicut improbus ita et indignus laudator inueniar. pfecto cū nec sanctitas nec facundia superat vt beatā et gloriosā virginem digne laudare queam. **Q**uā vt verū facer quicqd humanis dici pōt verbis minus est a laude dei qz diuinis et angelicis est excellentius p̄dicata et laudata p̄conijs. **A**p̄phetis quidē p̄nunciata. **A**patriarchis figuris et enigmatibz p̄signata. **A**b euangelistis exhibita et monstrata. **A**b angelo venerabiliter atqz officiosissime salutata. **P**reterea qualis et quāta esset ab eodē diuinit̄ declaratur cū ait. **A**ue gratia plena rē. **T**alibz nanqz decebat virginē oppignerari muneribus vt esset gratia plena: q̄ dedit celis gloriā: terris deū: pacem gentibz: finē vicij: vite ordinē: et moribus disciplinā. hec ille. **P**ropter q̄ oīa corā elizabeth deū ip̄a magnificauit. que designatur de se nobis dicere illud **Ecc̄i. xxiij. ca.** **E**go mater pulcrē dilectōis timoris et magnitudinis et sancte spei. **I**n me oīs gr̄a vite et veritas. **I**n me omnis spes vite et virtutis. **T**ransite ad me oēs qui cōcupiscitis merz a generationibz meis adimplēmini **S**p̄rit̄ enī meus sup̄ mel dulcis et hereditas mea super mel et fauū. **A**d eā ergo crebro cōfugiamus vt sua p̄tectione liberemur ab oībus malis imminētibz et benefaciēdo mereamur filiū ei⁹ gratiā et tandē gloriā sempiternā. **A**men.

Sermo vigesimosextus de tribus virtutibus cōtemplandis virginis gloriose in festo purificatiōis eiusdem.

I Alpleti sunt dies

purificatiōis marie s̄m legem moisi. **S**cribunt hec verba **Luce. ij. ca.** et in euāgelio presentis solennitatis. **S**plēdor virtutum gloriose virginis marie miro modo effunditur in celo et in terra. **N**am de ip̄a inquit **A**mbrosius in libro de virginitate. **T**alis fuit maria vt eius vnus vita oīm sit disciplina. **P**ropterea quēcūqz gesta sunt p̄ eam dñi illū paruulū p̄ntauit in templo rationabiliter facta fuisse indubitātē tenendū est. **N**ō vt et nos deuotius cōtemplari possemus. **S**ancta m̄r ecclesia purificatiōis eius festū cū benedictiōe candelarū agendū statuit. **D**efuerunt vero accense cādele ille bñdīct̄: vt innuatur qz virgo sacratissima tota sit splendida et luminosa. **F**uit aut̄ p̄ntis solennitatis institutor. **S**ergius papa q̄ a sp̄ritu sancto edoctus voluit vt xp̄iani singulis annis ad honorē genitricis dei hac die totum

mundū cū accensis et benedictis cereis illūstrarent. **I**nductus vero ad id fuit qm̄ **R**omani tēpore gentilitatis et sup̄sticiosi cultus idolorū in kalendis february ad honorez februe matris martis qui deus erat bellozū vr bem de quinto in quintū annū cū cereis et facibus tota nocte lustrabāt vt filius eius illis victoriā de inimicis concederet cuius matrē tam solēniter honorarēt. **S**imiliter in february sacrificabāt februo. i. **P**lutoni et ceteris dñjs infernalibus pro animabus antecessoz suoz. ideo ei solennes hostias offerebāt et tota nocte laudibz insistentes cū cereis et accensis facibus vi gilabāt. **E**t qm̄ difficile est cōsuetā relinquere xp̄iani de gentilitate cōuersi adhuc p̄dictas cerimonias obseruabāt q̄ de re **P**ontifex maximus vt extingueret paganorū errorē indixit vt benedicta luminaria ad honorē regine celoz ab oībus fidelibus portarent. **I**psa nāqz nō martis sed iesu xp̄i filij dei dulcissima mater a nobis colenda est cui⁹ meritis et intercessionē innumera: vt sic dicā: eā inuocantibz bñficia donant. **A**d cui⁹ laudes explicandas hodierna die incumbere debem⁹ q̄ vagientē filiū ad templū pduxit ibiqz oīa p̄fecit q̄ moises in lege iubeat. **I**n q̄bus p̄ ip̄am laudabilissime gestis tripli ci eius virtutē p̄ ceteris eligimus cōtemplandam.

Prima dñi virginitatis.

Secunda humilitatis.

Tercia liberalitatis.

De p̄petua virginitate sancte marie q̄ fuit a p̄phetis p̄nunciata ab ip̄a voto p̄firmata et sp̄ inuolabiliter obseruata. **C**apitulū. i. **P**rima virt⁹ excellētissima illi⁹ felicissimē me matris quā cōtemplari debemus dñi virginitatis. **H**ec designat in verbis moisi. **N**ā **Leuit. xij. c.** **E**t ordinatiōe dei moises dixit. **M**ulier si suscepto semine pepit immūda erit. **I**sta cōditio si appōita dat intelligere: qz qñqz mulier esset paritura masculū non suscepto semine. **E**x quo doctores dicūt qz si gnante moises fuit ita locutus ad excipienda matrē dei ab immūdicia. **E**t vt **Bernar.** ait. qz timuit in matrē dñi blasphemā irrogare. **S**ed vt virginitatē illā ardenti⁹ veneremur: in hac p̄t̄ria dubia sunt aperiēda.

Primū vtrū virginitas marie fuit ante p̄nunciata.

Scōm vtrū virginitas marie fuit voto p̄firmata.

Terciū vtrū virginitas marie fuit sp̄ obseruata. **A**d primū dubiū rñdem⁹ qz placuit altissimo deo p̄ multa añ retroacta secula virginitatē